

CAPVT XV.

Canis, quod cum parricida symbolum habeat? & cur simul cum illo culleo includatur? Forcatuli, & Covarruv. rationes; quòd immundus sit, & impurus, vel quòd nimis erga dominos fidelis, multis prius testimonijs, & exemplis ornata. posteà tanquàm minus ad rem facientes rei sciuntur. Canum quorundam docilitas, & fidelitas admiranda. De Ulyssæo Cane nonnulla. Lares caninis tergoribus quare? Nova rationes ultra alios tentata. Rabidi canes dominos petunt. Canes in parentes crudeles. Matres saliunt. A Romanis odio habiti, & quotannis in supplicium rapti, & quare?



ED vt symbolicam vniuscuiusque ex his animalibus sigillatim perscrutemur rationem, & in quo parricidæ similitudinem habeant, tam ex auctorum sententijs, quàm ex ipsius naturæ penetrabilibus eruamus, à cane nobis initium faciendum est. Quem Stephanus Forcatulus, (1) & Petrus Plaza ideò huic supplicio adhibitum putant, quòd sceleratum, & immundum hominem ostendit. Constat namque, canem obscœnum, & immundum animal esse, tum ex Virgilio, (2) dum ait:

Obscœnique canes, importunaque volucres.

& Horatio (3) ——— *Turpis, & excors,*

Vixisset canis immundus, & amica lutosus.

Tum verò ex Plutarcho, (4) qui hac ex causa scribit, canem in Atheniensium arcem admitti fas non esse, nec Delum insulam attingere, & ex alijs, quæ ex Tiraquello, (5) eius suppresso nomine, sibi Plaza (6) supposuit. Vnde eum, qui plus nimio ad impudentiam declinat, caninum oculum habere veteri, proverbio dici solitum, ex Polluce adnotavit Coelius Rhodig. (7) & eum qui facie canem referat, immundum & impudentem hominem futurum, Ioannes Nicolaus Porta (8) testatur. Id quod adeò apud veteres constitutum, & exploratum erat, vt conuicij, & maledicti loco, ad alicuius turpitudinem, & inuerecundos mores notandos, ca-

(1) Forcat. dial. 34. Plaza in epit. delect. cap. 22.

(2) Virg. I. Georg.

(3) Horat. I. epist. 2.

(4) Plutar. in problem. græc. c. 3.

(5) Tiraq. in l. 15. connub. num. 105.

(6) Plaza d. c. 22.

(7) Cœl. Rhod. lib. 17. ant. lect. c. 27.

(8) Ioan. Nicolaus Porta, de Physognom. hum. lib. 4. cap. 24.

ninum nomen vsarparetur. Hinc namque, vt Laertius, (9) & alij recensent, Diogenes ille Philosophus, quòd canum more passim, publicè, & nonnumquam in foro, Venerem perageret, Cynicus dictus est. Et Terentius Chermetem, & Gnatonem sic loquentes facit inter se, quodam loco, (10) *Ch. Diminuat ego caput tuum hodie, nisi abis.* Gn. *Ain verò canis? siccine agis!* Et Horatius, (11) in maledicum quemdam poetam, *Quid immerentes, inquit, hospites vexas, canis, Ignarus adversum lupos?* Et Vespasianus Demetrium Cynicum in itinere obvium sibi, ac nèque assurgere, nèque salutare se dignantem, oblatrantem etiam nescio quid, satis canem habuit appellare, vt Sueton. (12) refert. Quibus testimonijs alia adfabrè adijcit Petr. Faber, (13) quemdam Ciceronis (14) locum ex his eleganter exponens. Quò fit, vt mirum videri possit, quod se apud veteres scriptores legisse Pierius (15) commemorat, Vulcani templum apud Ætnam Siciliae montem fuisse, cuius locum incoherent canes, qui castè, pièque adeuntibus blandirentur, impuros verò pollutosque, rem quasi divinitus præfagientes, miserabiliter lacerarent. Nec enim canes impudentiæ & obscœnitatis (impudici ipsi adeò & immundi) apti vindices videbantur. Verùm adhuc Forcatuli ratio licèt his auctoritatibus corroborata, à quaestione nostra toto quod aiunt cælo aberrare videtur. Quid enim rogo impudentia cum impietate? & cum crudelitate immunda canum natura, commune habet, aut simile? Quamobrem Did. Covarr. (16) aliam huiusce rei rationem commentus, scribit, Plinio (17) teste, canem fidelissimum homini animal esse, & idcirco ad arguendam parricidæ infidelitatem, vt cum eo culleo infueretur inductum. Cui sententiæ plurima quidem, nec iniucunda relati gravissimorum auctorum (18) testimonia favent, qui exemplis adductis miram canum in dominos fidem, obsequium, & acceptorum beneficiorum memoriam, summis laudibus prosequuntur. Quod haud latuit doctissimum Virgilij interpretem Servium, in illud *Æneid.* (19)

(9) Laertius in vit. Diog. D. Aug. de civit. Dei, lib. 14. c. 20. D. Chrysohomil. in Math. 34.

(10) Teren. in Eun. act. 4. sce. 7.

(11) Horat. in lib. Epod. Od. 6.

(12) Suet. in Vespas. c. 13.

(13) Pet. Fab. lib. 12. semest. c. 9.

(14) Ex orat. in Pisonem.

(15) Pier. Valerian. Hierogl. lib. 5. fol. 40.

(16) Covarr. in Clement. si furiosus in initio 2. p. num. 12.

(17) Plin. lib. 8. c. 40.

(18) Plin. sup. Ælian. de hist. anim. lib. 1. c. 9. Erasmus in adagio, Canis vindictam. Patrie. lib. 1. de reg. tit. 6. Alexander. lib. 3. gen. c. 7. Natal. Com. lib. de venat. Cedrenus in ter Zonarae annal. tom. 3. fol. 99.

(19) Servius in Virgil. 8. Æneid.

(20) *Martial. lib.*
14. *epig. 200.*

Crossumque canes comitantur herilem.
& epigrammatistam Poetam, (20) dum ait:

*Non sibi sed domino venatur vertagus acer,
Ille sum leporem qui tibi dente feret.*

(21) *Bapt. Pius an-*
notam. c. 3.

(22) *Aristot. hist.*
ani. lib. 6.

(23) *Martial. lib.*
11. *epig. 59.*

Et ut deficerent alia, Vlysei canis exemplo satis ostenditur, qui, post longa temporum spatia Vlyssē in patriam redeuntem, & domo à Penelope sub peregrini habitu receptum, primus cognovit, & motu caudæ adulans domino, illū Penelope vxori aperuit, ut ex Homero Baptista Pius (21) latè commemoravit. Qui ibidem ex Aristotele (22) tradit, hunc canem vigesimo anno mortuum; eoque Martialem (23) respicere dum longa die consumptum, his verbis, ad rem etiam nostram facientibus, cecinit.

Lydia dicebar, domino fidsissima Dextro,

Qui non Erigones mallet habere canem:

Nec qui, Dictæa Cephalum de gente securus,

Lucifera pariter venit ad astra Dea,

Non me longa dies, nec inutilis abstulit ætas

Qualia Dulichio fata fuere cani.

(24) *Pier. vbi sup.*
fol. 40. & 42.

(25) *Joan. Zonar. 3.*
tom. ann. fol. 94. re-
fert. cū multis alijs
canum miraculis,
Simon Maiolus in
diebus canicu. col-
loq. 7. pag. 245.

Vnde, & apud Ægyptios, & alias nationes, canem & gratitudinis, & obsequij, atque obedientiæ Hieroglyphicon esse, Pierius Valerianus (24) testatur, insigni cuiusdam canis exemplo relato, qui in Marcelli theatrum, spectatore Vespasiano, à Mimo domino introductus, omnia quæ ad scenam necessaria erant, quæque vix ab homine expleri possent, magna omnium admiratione colludit: modò mortuum simulans, modò tristem, modò hilarem vultum, uti fabulæ exigebat commentum, ostendens. Quod tamen, imò & fidem omnem illud excedere videtur, quod Ioannes Zonaras, (25) gravissimus alioqui scriptor, de alio cane cuiusdam fabri æris, Andreæ vocati, recensuit; ad quem spectandum anno Imperij Iustiniani 17. confluyente populo, multi suos annulos in vnum acervum congestos ante canem posuerunt, quos domini iussu, cuique suum citra errorem attulit. Idem rogatus, qui ex his qui adessent dives esset, quis pauper, quæ mulier meretrix, quæ vidua, quæ vxor, & id genus alia: ea quòque omnia absque omni errore demonstravit, veste cui-

iusque ad quaestionem ore prehensa. Ex quibus iam satis colligitur, quanta insit canibus erga dominos fides, & observatio, quantaque gratitudine illis educationis vicem rependant, pro quibus sepe mortem etiam oppetere visi sunt; longè dissimili à parricidis ratione, qui mente præditi, naturæ legibus, quas ex canibus discere poterant, insuper habitis, non modò parentibus non obsecundant, verùm in eos impias, sacrilegas, & nefarias manus audent inferre. Quibus illud quòque non ineptè subjici poterit, Lares Deos, quibus familiæ totius cura à Romanis credita erat, caninis tergoribus, ac pellibus vestitos, & ornatos fuisse, non alia ratione, si Alex. & Pierio (26) fides est adhibenda, quàm quòd domus fidi custodes sint, & alienis formidolosi, domesticis verò blandi, atque ad strepitus nocturnos solliciti. Undè non omnino malè forsitan coniectabimur, Dijs Laribus, patris familias nece, præsertim à filio eorumdem sacrorum particeps (27) illata, offensis, & violatis, canes, qui Lares ipsos significarent, cum parricidis esse in culleum immisos, ut patratum in Deos facinus expiarent, & paternæ necis competens supplicium deposcerent.

Verùm & si in re hac cimmerijs (quod aiunt) tenebris involuta, & in qua natatore Delio ad certam rationem eruendam opus est, facilius sit aliorum opiniones reprehendere, quàm non reprehendenda in medium proponere. Laudo equidem Covarruvie iudicium, & nostris considerationibus stabilitum, non usquequaque respuendum existimo. Sed quoniam Theophilus, quem supra retulimus, generaliter putat, hæc animalia culleo insui, quòd se adversus parentes impiè quòque, & crudeliter gerant, videamus adhuc, an in cane aliquid simile reperiatur? Et verò ego illud tantum comperio, eam esse huius animalis naturam, ut rabie percitum, non iam fidei, & educationis memor, dominum, & domesticos ab alijs discernat, sed imò illis plerumque tabificum inferat morsum, haud aliter quàm facere parricidas videmus, qui præfractis moribus, & ferocientibus animis, non iam divina, non humana iura curantes, eos audent indignissimè vita privare, propter quos hanc suavissimam lu-

(26) Alex. ab Alexand. 3. gen. c. 12. Pierius supra.

(27) L. pronunciatio. 195. §. familiæ; de verb. signif. vide infra lib. 2. c. 2.

(28) *Pierius Valer.*
lib. 14. Hierog. fol.
107.

(29) *Balduin.* in d.
§. alia deinde, nu.
30. & 31.
(30) *Plutar.* in pro
blem.

(31) *Plin.* lib. 29. c.
4. *Coelius* lib. 17. ca.
28. *Alex.* lib. 3. c. 12

(32) *L. veluti,* de
Iustit. & iure.

(33) *Cicer.* in 1. e-
pist. ad Lentul.

(34) *Tiber. Decian.*
lib. 9. crimin. c. 16.
nu. 12. vide adagiū,
cane peius, & an-
gue odit.

cem aspexerint. Nisi fortè dicere cum Pierio (28) malimus, canes eam ob causam idem cum parricida supplicium subire, quòd ipsi impiè etiam facere videantur, cum & sorores, & matres falliant: vel cum Balduino, (29) canem, vt Plutarchus (30) scribit, quòd pugnax esset animal, atque in primis ferox, & immundum simul, fuisse ab omnibus olim templis prohibitum, ipsique sacerdoti, qui purissimum Deū coleret, abominabilem. Ac proinde rectè impio, & impuro, crudelique parricidæ adiunctum, qui parentem, quem veluti Deum quemdam colere debebat, violavit, & hoc veluti sanctissimum templum immani scelere profanavit; vel tandem non minus probabiliter consideremus, canes, vt Plinius, & ex eo Coelius, & Alexander ab Alexandro (31) retulerunt, iam olim à Romanis odio habitos, & patriæ proditores declaratos fuisse, eò quòd in Capitolium irruentibus gallis, ipsi muti, & sine latratu egerint, anseribus ampliter, & sonore in clamantibus, vnde eos quotannis in supplicium rapere, & inter ædem iuventutis, & Sumani, cruci affigere, coeptum fuit, anserem infidente, cui contra plurimum semper honoris detulerunt. Atque ita Romanos, odiosos sibi canes, cum odiofo Dijs, & hominibus parricida, eodem supplicio perire voluisse: cum non minus qui patriam, quam qui parentes violat & prodit, peccare videatur, (32) quod & nos latius inferius notabimus, & Cicero (33) sensit, dum dixit: *Vim nèque parenti, nèque patriæ inferri oportere.* Accedit his, infernales furias canum nomine denotari, illorumque odium notabile esse, vt non ineptè Tiberius

Dec. (34) considerat.

(†)



CAPVT XVI.

Callus gallinaceus cur parricidam comitetur? Angeli delirium exploditur. Et Accursij item, qui gallum gallinaceum malè castratum interpretatur, & pessimè castratos gallos reddi fortiores contendit. Gallinaceus cur appelletur? Galli appellatio varia. Galli Dea Cybeles sacerdotes cur ita dicti? Cur essent castrati? Pugnacissimos esse gallos, & natura vehementer viperis insensos, inde, secundum recentiores, parricidij pœna adaptari. Plura de gallorum pugnis, & ubi hodie in usu. Unde gallorum ludus, qui à pueris Bachanalium tempore fit, originem duxerit? Galli in matres crudeles. Petrum Greg. in Lucretij Carminum allegatione fœdè lapsus. Gallos nimis esse vxorios, & prolis amantes.



ECCĒ Scyllam, id est insignem caninis latratibus scopulum, vix dum Neptuno favente transfuēcti, iam iterum naufragium facimus, & in periculosum Charymbdis saxum incidimus, cum se se nobis Gallus gallinaceus offerat pertractandus, in cuius expositione, & ecquid simul cum parricida culleo insuatur? reddenda ratione, nullus est interpretum, qui feliciter vastum hoc pelagus transfretaverit, quique ingenij, & existimationis iacturam non fecerit. Nam, vt Angeli (1) ineptias præteream, qui gallum hunc, non pro gallinaceo accipiendum contendit, sed pro volucre alia, quæ in terris Fori Iulij nascitur, ingentis, vt ipse ait, magnitudinis, & faciem multum grossam habente. Accursius, (2) non longè meliori iudicio gallum gallinaceum, capponem, id est castratum gallum interpretatur, quem, quod acriter cum serpentibus dimicet, huic supplicio adhibitum putat. Cuius tamen opinio, & in verbis, & in re ipsa falsa, admitti non potest. Certius namque est, gallum gallinaceum, vt & Budæus, (3) & alij notarunt, non pro castrato accipi, sed pro eo potius, qui testiculos habeat, & vt Quintilianus (4) rectissimè advertit, sic interdum appellari, ob *improptate* vitandam, id est erro-

(1) Angel. in d.l. pœna.

(2) Accurs. in lege penult. de parric. & in l. vnic. C. de his qui parent.

(3) Budæus in annotat. poster. ad d. l. penult.

(4) Quintil. lib. 7. inf. cap. 9.

rem, qui ex nominum similitudine nasci posset; cum galli appellatio pluribus rebus conyeniat, & simpliciter posita, vtrum gentem, an avem, vtrum nomen, an fortunam corporis denotaret, incertum vtrique esset. Nec refert Cybeles Deæ sacerdotes, quibus genitalia abscissa erant, gallos fuisse appellatos; nam id nomen, vt Herodianus (5) ait, à flumine Phrygiæ Gallo, eis inditum est: quod & Sextus Festus Pomp. (6) luculentius his verbis ostendit: *Calli qui vocantur, Matris magna comites, dicti sunt a flumine, cui nomen est Gallo, quia qui ex eo bibissent, in hoc furere incipiunt, vt se priuent virilitatis parte.* Et Ovidius (7) in Fastis, sic inquit:

Cur igitur gallos, qui se excidere vocamus?

Cum tantum à Phrygia, Gallica distet humus?

Inter, ait, viridem Cybelen, altâsque Celanas,

Amnis it insana nomine gallus aqua.

Qui bibit inde, furit; procul hinc discedite, quis est

Cura bonæ mentis: qui bibit inde, furit.

Quanquam alij, vt Rosinus (8) refert, aliam afferant etymologiam, & à Gallo quodam, qui primus Cybeles sacerdos fuerit, dictos eos fuisse arbitrentur. Rursus & in eo est Accursi. tota, quod aiunt, decempeda lapsus, quod castratum gallum, fortiozem, validiozemque ad pugnam fieri putat: Nam etsi Baldus (9) omne animal castratum, excepto homine, melius reddi tradiderit. Certius est tamen, quod ad vires attinet, gallum, vt & cætera alia animalia, molliorem, debiliorem, & timidiorem abscisis genitalibus reddi, propriusque ad gallinæ naturam accedere, cantum amittere, neque eo temporis spatia metiri, ova incubare, & galli erga gallinas liberalitate amissa, suo tantum ventri studere, vt rectè scripsit Angles, (10) & sentire videtur Martialis, (11) dum ait:

Ne nimis exhausto macresceret inguine gallus,

Amisit testes, nunc mihi gallus erit.

Et in Eunucho homine expressit Ovidius, (12) sic dicens:

Non tu natus equo, non fortibus vilis armis,

Bellica non dextra convenit hasta tua.

Ista mares tractent: tu spes depone viriles, &c.

Qua-

(5) Herodian. li. 1.

(6) Fest. Pomp. lib. 7
de verb. sign. in
galli.

(7) Ovid. 4. Fastor.

(8) Rosin. de anti-
quit. Roman. lib.
3. cap. 27.

(9) Bald. in l. 1. nu.
2. C. de Eunu & in
l. Eunucho, C. qui
testam. fac. poss.

(10) Angles de
propriet. rerum,
lib. 12. cap. 17.

(11) Martialis. lib.
13. Epig. 63.

(12) Ovid. libr. 2.
amorum. eleg. 3.

Quare his relictis, videamus an ne recentiores interpretes, congruentius aliquid hac in parte repererint? Et sanè eorum fermè omnium (13) iudicium eò tendit, vt probent, gallum gallinaceum pugnacissimum esse, & admodum viperis, & reliquis serpentibus infensum, ideòque simul culleo insui, vt his pugnantis gravius parricida affligatur. In cuius rei confirmationem, ego illud adijcio, adeò insitum esse natura ipsa inter gallos, & serpentes dissidium, vt etiam mortui sibi adhuc repugnare videantur. Nam Plinio (14) teste, carnes gallorum, & crudæ, & calidæ, super viperæ mortuum appositæ, veneno medentur. Rursus & illud, gallos ita esse pugnaces, ferocesque, vt iuxta eiusdem Plinij (15) sententiam, dimicatione inter sese imperium, & regnum vniuscuiusque domus adquirant, nèque finis sit sæpe commorionibus. Sed & Tanagreos, Medicos, & Calcidicos, idem Plinius extollit, quòd ad bella tantùm, & assidua prælia nati videantur. Et Pergami omnibus annis spectaculum gallorum, ceu gladiatorum publicè edi affirmat. Quin & Athenienses etiam legem posuisse, vt galli gallinacei quotannis in theatro certamen inirent, ex Æliano, (16) & alijs dedicimus; eò quòd cum Themistocles, exercitum adversus Barbaros educeret, sumpta ex gallis, quos pugnantes vidit, occasione, militum animis virtutis incitamentum iniicit. Romæ quoque has gallorum pugnas fieri solitas, ex Columella, (17) & alijs latè Beroaldus (18) ostendit. Et apertè ex Herodiano (19) colligitur, qui cum de Severi filijs loqueretur, ita inquit: *Puerili primum certamine, edendis coturnicum pugnis, gallinaceorumque conflictibus, ac puerorum colluctationibus.* In pluribus quoque Galliæ partibus, Bacchanalium tempore (carnis privium vocant) hoc gallorum spectaculum per pueros annis singulis fieri, & galli vincentis dominum, regem gallorum creari, Nicolaus Boerius (20) recenset. Quò Hispaniæ item nostræ mos respicit, in qua, licet diverso modo, pueri, rege gallorum electo, eodem prorsus tempore gallos exagitant. In Anglia etiam hodièque, non apud regni Satrapas, & optimates, has gallorum concertationes in delicijs esse, & in aula regia, in hunc dumtaxat

(13) Ita sentit Forcat. dial. 34. Covarr. in d. Clemen. Plaz. d. c. 22. Balduin. in d. §. alia deinde, n. 34. & Tiber. Decian. lib. 9. crimin. c. 16. nu. 11. qui statim aliã ridiculã rationem comminiscitur.

(14) Plin. lib. 29. de natur. hist. cap. 4. Angles sup. c. 16.

(15) Plin. lib. 10. natur. hist. cap. 21.

(16) Ælian. li. 2. de var. hist. Cœl. lib. 17. ant. lect. c. 32. & li. 9. c. 13. Alex. lib. 5. gen. c. 8. Erasmus in adagio, Gallus insultat, & gallus submissis alis, Pie. lib. 24. pag. 223.

(17) Colum. lib. 8. de re rust.

(18) Beroald. ad Sueton. in Octav. cap. 44.

(19) Herodian. lib. 4.

(20) Boerius decisione 30. num. 6.

usum, peculiarem locum, in palestræ formam constitutum; inibique à gallorum dominis magnam pecuniæ vim in spon- sionem deduci, Doctor Laguna (21) oculatus testis scribit. Verum licet hæc ita se habeant, adhuc tamen vix est, vt su- pradiçtæ rationi acquiescere possim. Nam quòd galli inter se pugnacissimi sint, nihil ad versum (vt est in proverbio) conducit, nihilque cum parricida commune videtur habere. Deinde quòd cum vipera odium gerant internecinum, ma- gis in viperæ, quàm in parricidæ pœnam spectat; qui, dum inter se bestiolarum illarum, insitum natura certamen ac bellum conficiunt, ab eorum moribus liber, & innoxius manebit.

Vnde si divinandum est, ego licet Davus sim, non OEdi- pus, verosimilius esse arbitror, quod Pierius (22) existimat, gallum nempè ea de causa culleo insui iussum, quia & ipse impietatis symbolum habeat, cum & matrem saliat, vt hip- popotamus, & patrem etiam immaniter incessat. Vnde apud Aristophanem, (23) Philippides, qui patrem verberaverat, exemplo galli factum tuctur suum, & Lucretius, (24) quem in hanc rem Petrus Gregorius Tholosanus (25) allegat, gal- los ingratos esse in patres, sic de terra loquens, scribit.

*Gallos attribuunt, (scilicet terræ) quia numen
qui violarint*

Marris, & ingrati genitoribus inventi sint,

Significare volunt, indignos esse putandos,

Vivam progeniem qui in oras luminis edant.

Quæ tamen carmina, vt ex præcedentibus constat, & ibi Dionysius Lambinus (26) advertit, non de gallis gallina- ceis, sed de Gallis Deæ Cybeles sacerdotibus, de quibus su- pra mentionem habuimus, intelligi debent; atque ita minùs aptè à Petro Greg. adducta videntur. His ego illud tandem adiicio, non omnino gallorum, & parricidarum mores dif- ferre; nam sicut illi, soli in vnaquaque domo esse conantur, nèque imperij, vt ex Plinio retulimus, consortem patiun- tur: ita parricidæ, dum parentum hereditatibus inhiant, & bonorum administrationem liberam habere conantur, im- mani audacia parentum fata properant, & illis mortem in- ferre non timent. Sed nèque abs re erit si dixerimus, gallum

(21) *Lagun.* in ad-
ditionib. ad Dios-
cor. lib. 2. c. 43.

(22) *Pierius* lib. 14
Hieroglyph. pag.
234. & lib. 24. pag.
224.

(23) *Aristophanes.*

(24) *Lucretius* lib.
2. de nat. rerum.

(25) *Petr. Greg. li.*
36. Syntag. cap. 24.
num. 10.

(26) *Lambinus* in
kommen. *Lucretij.*

in his impium, in multis tamen alijs & pietatis studiosum, & curæ erga sobolem valdè sollicitum. Hinc enim videmus, eum maximè gallinis deditum, ac velut vxorium esse, tantàmque turbam vnicum maritum implere, tum etiam pro pullis acerrimè depugnare, & vt ex auctoritate Ambrosij Leonis Nolani refert Erasmus, (27) frequentem, & diei nuncium cantum emittere, dum prolis foecunditati studet; atque idcò mirum non esse, si ab impio filio, amantissimus sobolis gallus supplicium exigat. Sed quoniam hæc quæ de gallo scripsimus, & reliqua omnia, quæ ei à natura tribuuntur, exactè admodum, & apprimè, carminibus complexus est Alardus Æmstelredamus, (28) eis relatis huic capiti finem imponere visum est:

(27) *Erasm. in adagio, Gallus antequam iterum cantet. chil. 3. cent. 7. adag. 67.*

(28) *Alard. Æmstelredamus, inter lucubrationses Rodolphi Agricolaë.*

Quamquam multa vigil nobis fera commoda gallus,

Hæc tamen è multis commodiora putem:

Sive quòd obstrepere lucem vocat ore morantem,

Sive quòd instantem clamat adesse diem.

Sive quòd incautis solis denunciat ortum,

Inque opera ignavos excitat artifices.

Sive quòd hæc cælum crebro sola aspicit ales,

Venturique sagax excubat exitij.

Gallus gallinis præfectus pluribus vnus,

Unicus hic tanto vir satis vsque gregi est.

Fœcundus quò sit fœtus, numerosaque proles,

Cantans dulcisona provocat illecebra.

Rivalesque procul tectis ab herilibus arcens,

Non à corte foras longius egreditur.

Imperitatque suo generi, & quacùmque moratur

Sede, sat exercet, quod tenet imperium.

Inque suo sterquilinio nimium audet, oratque;

Quisquis ferè proprijs regnat in ædiculis.

Abstinet inventis vngui quas scalpurit escis.

Arguòque salax convocat ore pecus.

Gnaviter vxores, pullos, totàmque cohortem

Asserit, ac hostes calcibus extimulat.

Quod si palma datur, victor plaudentibus alis

Atrox canit, ast victus clam fugit atque silet.

Dèque

Dèque propagata fœtura, & prolibus auctis,

Ati è sollicitus, semper & advigilans.

Sic vigil, assiduus, condus, frugique maritus

Prospicit vxori nocte dièque sua.

Coniugis vt castum possit seruire cubile,

Et paruos natos arte fovere sua.

Non sua contemnens, aliena negotia curans,

Claudus vti sutor desidet. vsque domi

Semper ab hac opera, summo venerandus honore,

Ille viri veri vera erit effigies.

CAPVT XVII.

Viperam parricide similem esse, ideòque in eius supplicio adhiberi, cum hac quòque parentis viscera nascendo prærupat. Hoc multorum auctorum argumentis probatur. Ex alijs postea in dubium vocatur. Tandem prior opinio magis admittitur. Sacrilegi quomodo apud Æthiopes puniti? Hominum quorundam natura, quibus venenata animalia non noceant.



VIPERAM simul cum cane, & gallo culleo insui, non iuris tantum, verum humaniorum etiam litterarum auctores passim ostendunt, licet omnes & in nomine & in numero varient. Nam Mode-

stinus, (1) & Iustinian. viperam appellant, Seneca (2) serpentem: *Non culleum, non serpentem, non carcerem decrevit*, Et alibi: (3) *Imaginabar mihi culleum, serpentem, profundum.*

Cui & Iuvenalis (4) convenit, vbi, de Nerone loquens, ait:

Cuius supplicio non debuit vna parari

Simia, nec serpens vnus, &c.

Et vetus Onomasticon Petri Danielis, quod laudant Turnebus, & Christophorus Colerus, (5) vbi culleus diffinitur:

Tunica de sparto in modum eronis facta, qua linebatur pice

& bitumine, in qua includebantur parricide, cum simia, serpente, & gallo. Hispana autem lex nostra, (6) colubrum, sive

anguem vocat, ibi: *Et que encierren con el vn can, e vn gallo, &*

vna

(1) *Modest. & Iustinian.* ille in d. l. pœna, hic in d. §. alia deinde.

(2) *Senec. lib. 1. de Clem.*

(3) *Idem contr. 5. cont. 4.*

(4) *Iuven. satyr. 6.*

(5) *Turneb. lib. 28. aduer. c. 5. Coler. lib. sing. parerg. c. 3.*

(6) *L. 12. tt. 8. p. 7.*

vna culebra, è vn ximio, à qua non differt Plutarchus, (7) dum scribit, Caium Villium proditorem & seditiosum civem, in culleo cum anguibz insutum fuisse. Nisi quod hic plures angues insui ostendit, non vnum, quod & Quintilianus (8) insinuat, dum in declamationibus ait, culleo & serpentibus expianda feritas, Et Constantinus Imperator (9) sic scribens de parricida: Et inter eas ferales angustias comprehensus, serpentium contubernio misceatur. Sed rectè Hieronymus Magius, (10) pluralem pro singulari, vt alias sæpe, ita in his locis apponi, considerat. Quamvis quoad Constantini sanctionem, veriùs sit, ibi serpentium nomine reliqua alia, quæ cum parricida misceri iubentur, animalia contineri: nam antea viperæ mentionem in singulari numero fecerat. Cur verò vipera huic supplicio adhibeatur? longa explicatione non eget, cum omnium (11) consensu ea parricidæ symbolum habeat, & simili delicto videatur obnoxia: nam vt Plinius, & Aristoteles (12) tradunt, non nisi exesoparentis vtero prorumpit in lucem, & per parricidium vite ducit initia. Vipera quippè foemina ore marem excipiens, eius sub finem coitus caput obtruncat. Illam autem pregnantem catuli exedunt, & veluti paternæ necis ultores, exeuntes, latera, parente occisa, perumpunt. Vnde apud Aegyptios, vt Orus Apollo, & Pierius (13) recensent, mulierem ob solum concubitum marito assentantem, per viperam significabant. Quod Adrianus etiam Iunius (14) eleganter in suis Emblematis expressit, sic inquit:

Cum ruit in Venerem blanditur Echidna marito,

Atrox satira insertum præscedit ore caput.

Improba palpatur tentigine fervida coniux,

Continuò letum poscit anhelata viri.

Et quod ad rem nostram propriùs spectat, liberos in matrem conspirantes, eique insidias parantes, eiusdem viperæ hieroglyphica nota repræscentabant, vt vltra supradictos auctores, Cœlius Rhodiginus, (15) sic etiam leges, quæ viperam parricidæ sociari volunt, interpretatus, scripsit. Qui idem alibi, (16) quodnam serpentis genus hoc sit, quod latine vipera dicitur, latè disquirat. Sed fuerunt tamen non-

nulli

(7) *Plutarc. in Gracch.*

(8) *Quint. declam.*

(9) *Constant. in d. l. vnic. C. de his qui parent.*

(10) *Magius lib. 4. miscel. cap. 8.*

(11) Ita post ordinarios tradit *Baldwin.* nu. 33. in d. 6. alia deinde. *Forcat. d. dialog. 34. Covar. d. Clem. Petr. Greg. d. lib. 36. c. 24. Piax. d. c. 22. num. 7.*

(12) *Plin lib. 11. c. 44. & lib. 8 c. 54. Arist. lib. 2. de hist. anim. cap. 8.*

(13) *Orus Apollo de lit. hierog. Pier. lib. 14. in princ.*

(14) *Adrian. Iun. Embl. 38.*

(15) *Cœl. Rhod. li. 6. cap. 13.*

(16) *Idem eodem lib. cap. 16.*

(17) *Albert. Magn.*
& alii quos refert
Petr. Mex. in Sylva
var. lect. lib. 3. c. 1.
(18) *Philost.* in vit
Appoll lib. 2. c. 8.

(19) *Theophrast* re
latus à *Pier. sup.* &
Ælian. lib. 14. c. 16.

(20) *Pier. d. lib. 14*
Simon Maiolus die-
rum caniculariū,
colloquio 8. pag.
334. & 335.

(21) *Herod.* lib. 3.

(22) *Pierius* supr.

nulli, nec contemnendæ fidei auctores, qui hoc totum, quod de viperis diximus, fabulam esse affirmant. Nam neque in coitu fœminam mariti caput præscindere, *Albertus Magnus* (17) testatur; neque sobolem abroso matris utero in lucem prodire, *Philostratus* (18) in *Appollonij* vita scriptum reliquit, ubi *viperam esse visam, ait serpentes quos peperisset lambentem, quasi que expolientem. Non enim assentior, ò Damis, imprudenti eorum sermoni, qui dicat viperarum filios absque matre nasci; neque enim hoc natura patitur, neque comprobatur experientia.* Sed & *Theophrastus* (19) summa diligentia inter Græcos scriptor, matris uterum à catulis excedi negat, & mortis, sicubi contingit, causam inde procedere comminiscitur, quòd alvus sponte rumpatur, ut potè quæ angusta adeò sit, ut tam numerosæ prolis multitudinem & incrementum capere nequeat. Et experientia comperitum esse, vipersas, aliorum instar animalium, coniungi, parere, fœtusque suos educare, *Pierius Valerianus*, (20) & novissimè *Simon Maiolus* latè testantur. Verùm ut hoc ita sit, communis tamen, quæ de viperarum parricidio increbuit opinio, satis in causa esse potuit, ut prudentissimi legislatores eam cum homine eiusdem criminis reo confuerent. Et verò adduci non possum, ut credam *Aristotelem*, *Plinium*, *Ælianum*, & alios nobis imponere voluisse; quin & historiae patrem *Herodotum* (21) comperio, inter alia, quæ natura parens providentè induxit, hoc, quod de viperarum morte retulimus, connumerare, *ne aliàs si communi aliorum serpentium more gignerentur, hominibus vivendi facultas non esset.* *Nicander* etiam & *Galenus*, ut *Pierius* (22) refert, in eandem sententiam plura scripsere. *Nicandri* verò crimina à *Pierio* latina reddita, quia pulchra omitti non possunt. Ea igitur post alia sic habent.

Vipere eo occurras generi, namque illa in apertas

Excipiens semen fauces: caput inde maii

Complexu in dntci abscondit: mox damna parentis

Extincti, fera progenies ulciscitur, alvo

Materna abrosa. & carili sine matre oriuntur:

Sola etenim hac animat fœtum, &c.